

Johannes Vorst   Martin Nordan

## Positiones Miscellae

Rostochi[i]: Richelius, 1650

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730216241>

Druck   Freier  Zugang



R u phil 1650  
Johann Vorstius  
Martin Nordanus









69

POSITIONES MISCELLÆ,

*Quæ*

Consensu venerandi Ordinis Philosophici

In celebri Academiâ Rostochienſi

*in publicæ diſputationis materiam*

*proponuntur*

à

M. JOHANNÈ VORSTIO,

&

MARTINO NORDANO,

ad diem XVI. Martii

*In Auditorio Majori.*

OS \*\*\* OS

ROSTOCHI

*Typis Johannis Richelii, Senat, Typogr. An. 1650.*



SERENISSIMO & CELSISSIMO

PRINCIPI ac DOMINO,

DN. FRIDERICO,

HÆREDI NORWEGIÆ, DUCI SLESVICI,

HOLSATIÆ, STORMARIÆ, & DITHMARSIÆ,

COMITI IN OLDENBURG & DELMENHORST;

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

**I**nclite Dux, Regum Sanguis generose Parentum,  
Delicium populi præsidiumq; tui,  
Vindice quo Pietas viget, & Jus Fasq; resurgunt,  
Musaq; conspicuum tollit ad astra caput,  
Accipe, sed facilis, nostræ conamina Musæ:  
Accipe, quas inopes pagina donat opes.  
Sunt ea nec meritis, nec tanto culmine digna,  
Ante tuos supplex quæ fero dona pedes.  
Sed si mente Deus purâ sine munere gaudet,  
Et capit ex donis munera parva suis,  
Te quoq; cur dubitem, superis ô proxime Princeps,  
Possè animi purâ simplicitate capi?  
Scilicet ut superant benefacta illustria sortem  
Communem: sic & mutua non repetunt.  
Arbitrioq; suo, quamvis sint tenuia dona,  
Ipsa tamen pretium mens generosa facit.  
Hac ego spe fretus, variâ hos de messe maniplos  
Offero, quos potuit reddere noster ager.  
Si placeant, istos; Si non, amplectere mentem:  
Majus erit voto, si sit utrumq; meo.

TUÆ SERENITATIS

*devotissimus Servus, subditus, & alumnus*

MARTINUS NORDANUS,

Hufensis Hofsfatus.





I.



**N**digna res est, Logicam, præstantis-  
simam disciplinam, in Philosophiæ partibus  
non numerari. Nos cum Platonis, Stoicis,  
& Latinis Interpretibus Alberto, Thomâ, Sco-  
to, aliisque plurimis, eam in Philosophiæ parti-  
bus summo jure habendam censemus. Pla-  
tonis quidem mentem Alcinoüs exprimere voluit hisce verbis :  
*ἡ δὲ Φιλοσοφία τριπλὴ καὶ τὴν ἀλάλωνα ἐν τοῖσι τοῖσι εἶκειν εἶναι, ἐν τῇ  
τῆ θεῶν καὶ τῇ τῶ ὄντων γνώσει, καὶ ἐν τῇ πράξει τῶ καλῶν, καὶ ἐν αὐ-  
τῇ τῇ δὲ λόγων θεωρίᾳ.* Studium certe Philosophiæ in tribus ex  
Platonis versari videtur sententiâ: in contemplatione, & cogniti-  
one eorum, que sunt: in virtutum actione: & in sermonis considera-  
tione. Dicunturq; eorum, que sunt, cognitio, contemplativa: eo-  
rum, que ad actionem pertinent, activa: differendi cura, dialectica.  
Qua quidem in dividendi, definiendi, inducendi ac ratiocinandi mo-  
do dividitur. Hoc verò amplius, nec ab Aristotelis mente,  
dum Logicam in Philosophiæ partibus numeramus, quicquam  
nos alieni statuere credimus.

De doct.  
Plat., c. III.

II.

Valdè probamus, quod Cl. Danhawerus objectum Logi-  
ces constituit orationem, tam internam, quam externam, qua-  
rum utraq; sit secundæ, vel tertiæ mentis operationis. Ut ta-  
men objectum adæquatum fiat, existimamus addendam esse pri-  
mam mentis operationem, utpote, quæ itidem habitu Logices  
videretur dirigenda. Distincte igitur rem ita proponimus: Tres  
mentis operationes sunt objectum Logices primarium: ora-  
tio externa est ejusdem objectum secundarium, quatenus qui-  
dem ea operationum mentis est signum, atq; ad eò veritatis suo  
modo capax. Mirum autem est, idem illud objectum non con-  
stituisse

Epist. Dia-  
lect. p. 3.



stituisse jam ante illos, qui Logicæ communem juxta tres mentis operationes in tres partes tribuerunt: sed vel Jacobi Zabarella, vel aliorum sententiam fuisse amplexos.

### III.

Vehementer nobis placent ista Philosophi verba:

Ἐπι ἐργμ.  
c. XIV.

Τὰ ἐν τῇ ψυχῇ ἀκροῦσθαι τοῖς ἐν τῇ Δεινσίᾳ, ἑα, quæ sunt in voce, sive enunciationes externa (nam de enunciationibus instituta est tota illa πραγματεία) sequuntur ea, quæ sunt in mente. Placent item hæc ejusdem: Ὅτι ἂν πρὸς τὸ ἔξω λόγον ἢ ἀπεδείξει, ἀλλὰ πρὸς τὸ ἐν τῇ ψυχῇ, ἐπεὶ ὁ δὲ Συλλογισμὸς. ἀεὶ ἂν ἐστὶ ἐντὴν νοῦ πρὸς τὸ ἔξω λόγον, ἀλλὰ πρὸς τὸ ἔσω λόγον ὁπὼν αἰεὶ. Non ad externum sermonem, demonstratio pertinet, sed ad eum, qui est in animâ, quia nec syllogismus ad illum, sed ad hunc pertinet. Semper enim licet objicere adversus sermonem externum, sed adversus internum sermonem non semper licet. Existimamus adeo, λόγον τὸ ἔσω, sermonem internum, præcipuè in Logicis esse spectandum.

l. 1. post  
analyt. c.  
X.

### IV.

Hæc Enunciationes, Necessè est, ut habitu Logices sis instruitus, cum labore & industriâ acquirere: Necessè est, ut post plures dies sis superstes, edere, non sunt enunciationes modales. Hæc enunciatio, Necessè est hominem, qui vult vivere, edere, est modalis, sed falsa. Ista autem, Necessè est hominem post plures dies victurum edere, est modalis, & vera. Aristoteles sanè τὸ ἀναγκαῖον τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν, necessè, quod non contingit aliter se habere accuratè distinguit ab illo ἀναγκαῖον, ἔστω τὸ ἀγαθὸν μὴ ἐνδεχέσθαι ἢ εἶναι, ἢ ἡγεῖσθαι, sine quo bonum non contingit, aut esse aut fieri. Hujus posterioris exemplum rectè posuit tale, τὸ πίνειν τὸ φάρμακον ἀναγκαῖον, ἵνα μὴ κέμῃ, positionem medicatam bibere est necessarium, ut quis non agroret, hoc est, ut sanitatem recuperet, sive ad sanitatem recuperandam. Quæ enunciatio procul dubio est pura, & absq; modo. Erunt igitur idem puræ, quas initio posuimus. Neq; transpositio quarundam vocum movere quemquam debet, ut aliter putet habendum.

l. IV. Me  
cap. c. 5.

V. Quod



Quod quidam putant, si particula negativa לֹא universalis signo כֹּל in Hebræa Linguâ addatur, enunciationem fieri universalem negativam, ut ita *non omnis* (לֹא כֹּל) idem sit, quod *nullus, non ullus*, id nobis non probatur. Existimamus autem ita habendum, negativam particulam immediatè præponi copulæ, si enunciatio universalis negativa fieri debeat. Exemplum habemus in his כֹּל כֹּן נֹכַח לֹא יֹאכַל בו *Omnis alienigena non comedet de eo* (agno paschali). Itemq; in istis לֹא תִצְדַּק כֹּל חַי חַיִּים *non justificabitur coram te omnis vivens*. Ex corpore N. T. quod innumeris ferè ὅμοιοι Hebrææ Linguæ genium redolet, in exemplum producimus ista: Πᾶς ἄνθρωπος, ἢ ἀγαθάρτης, ἢ ἀλεονέκτης οὐκ ἔχει κληρονομίαν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Χριστοῦ. In hisce igitur particula negativa non additur universalibus signis כֹּל & πᾶς, sed ipsis copulis, quæ quidem prædicatis sunt comprehensæ, immediatè præponitur. Non dicitur, inquam, לֹא תִצְדַּק לֹא כֹל חַי חַיִּים *non omne vivens justificabitur coram te*, sed חַי חַיִּים לֹא תִצְדַּק לֹא כֹל חַי חַיִּים *Omne vivens non justificabitur coram te*. Neq; putandum est, perinde esse, sive quis juxta Hebrææ Linguæ genium pronunciet *omnem hominem non justificari operibus*, sive pronunciet, *non omnem hominem justificari operibus*. In Græcâ & Latinâ Linguâ universales negativæ longè alio modo fiunt. Si nim. verba Apostoli, quæ paulo antè posuimus, secundum genium Græcæ Linguæ efferre velimus, dicendum est, Μηδὲς ἄνθρωπος κληρονομίαν ἔχει ἐν βασιλείᾳ τοῦ Χριστοῦ. Atq; item Latinè hoc modo: Nullus scortator hereditatem habet in regno Christi. Μηδὲς est compositum ex μηδὲ & εἷς. Et Nullus est compositum ex non & ullus. Quod idem ferè est cum hisce, *non quidam, non aliquis*. Cum igitur istæ particulæ universales negativæ faciunt, particula negativa non immediatè ponitur ante copulam, neq; eam solam afficit, sed toti enunciationi præfigitur, quæ per se spectata particularis affirmativa est. Juxta genium autem Hebrææ Linguæ dicendum Latinè: *Omnis scortator non habet hereditatem in regno Christi*, Sed

Exod. XII.  
v. 43.

Pf. CXLIII  
v. 2.

Epb. V, 5.



*fi.* Sed hanc non fert Latinæ Linguæ genius. Est tamen, ubi particula negativa, immediatè præposita copulæ, universales negativas format, si nimirum dicam, *Quicumq; est scortator, is non habet hereditatem in regno Christi.* Sed addamus & alias quasdam universalium negativarum enunciationum formas, quas quidem Hebrææ Linguæ genius agnoscit. I. Reg. VIII. 46. **אין אדם אשר לא יחטא** *Non est homo, qui non peccet,* Dan. X. 21. **אין אחד מתחוק עמי על אלהי** *Ne unus quidem est, qui se confirmet mecum contra istos, nisi Michael Princeps refter.* Eccl. I. 9. **כל הדש תחת השמש** *Omne novum non (nihil novi) est sub sole.* Ps. XXXIV. 21. **אחת מהנה לא תשבר** *Unum ex illis (offibus) non confringetur.* Deut. XIII. 17. **לא ידבק בידך מאומה** *Non ahareat manus tue quicquam.* Ps. XIV. 4. **אחד טוב אין גום אחד** *Non est faciens bonum, neg, unum.* II. Sam. XII. 3. **לא רש אין כל** *Pauperi non erat quicquam.* Jer. XXXVIII. 5. **אין המלך יוכל** *Non est Rex, qui possit adversus vos quicquam.*

VI.

Syllogismi secundæ & tertiæ figuræ in *Baroco* & *Bocardo* formati æquè ad primam figuram reduci possunt directà reductione, ac ad eam reducuntur illi, qui in cæteris secundæ & tertiæ figuræ Modis formantur. Sit Syllogismus in *Baroco*: *Omnis credens salvatur. Quidam homo non salvatur. E. Quidam homo non est credens.* Convertatur modò major per contrapositionem hoc modo, *Quicumq; non salvatur, non credit.* & habebitur Syllogismus primæ figuræ in *Ferio*. Si quis plura requirerit, is minorem, quæ negativa est finiti prædicati, mutet in affirmativam infiniti prædicati h. m. *Quidam homo est is, qui non salvatur.* Porrò Syllogismus in *Bocardo* sit iste: *Quidam homo non salvatur. Omnis homo est redemptus. E. Quidam qui est redemptus, non salvatur.* Ut fiat reductio, sit, quæ in posito syllogismo minor est, propositio major: fiatq; transpositio, ut sit in reductione syllogismorum in modo *Camestres* formatorum. Ex majore positi syllogismi fiat *ἀνάπαλις ἢ ἀπολόθῃσις*, ut in præcedente, hoc puta modo: *Quidam, qui non salvatur est homo.*

Atq;



Atq; ita commodè sequetur conclusionis positi syllogismi per eandem ἀναλήθειαν conversa, h. m. *Quidam, qui non salvat, est redemptus*: eodem nim. modò, qvò in reductione syllogismorum, qvi in Camestres formantur, conversa infertur.

VII.

Cosmographiam & Geographiam plurimi contendunt se habere, ut totum, & partem. Cosmographiam nim. dicunt esse totius universi seu mundi, tam elementaris, quam ætherici descriptionem: Geographiam autem solius terræ situm describere. Nisi valdè fallimur, id volunt illi, Cosmographiam complecti suo ambitu Astronomiam, & Geographiam. Nos existimamus, Astronomiam, & Geographiam, quia habent diversa ὑποκείμενα γῆν, *subjecta genera*, non contineri sub uno toto, ut partes, sed esse diversas scientias.

*Apian. Cosmogr.  
Cluv. Geog Introd.  
Merula Cosmogr.*

VIII.

Quod Philosophus scripsit φαίνεσθαι ἢ τὸ ἐκτὸς ἀγαθῶν πρὸς δεομένην τὴν ἑδαιμονίαν, *beatitudinem externis bonis videri indigere*: atque item alibi, οὐδενὸς εὐδεῖα εἶναι τὴν ἑδαιμονίαν, *nullius rei indigam esse beatitudinem*, in eo is sibi contradicere nequaquam est putandus.

*lib. 1. Nic. c. 9.  
I. X. c. 6.*

IX.

Quod Philosophus scripsit, non continuo furem esse, qui furatus est, neq; adulterum, qui adulterium commisit, de eo non immeritò videmur nobis dubitare, quòd placere nobis debent, quæ idem Philosophus scripsit, ὃ πᾶσι δοκεῖ, τὸ εἶναι φαινομένον. Itemq; Hesiodæum illud, quod & ipse laudat: Φήμη ἔστι πάμπαν ὁπίδουται, *λέων λαοὶ πολλοὶ φημίωσι.*

*I. V. Nic. c. 10.*

X.

Falsissima est assertio ista, ex quâ nonnulli nostræ ætatis rebelles credunt κακουργημάτων suorum se posse reddere rationem, τὸ κύριον sive summam potestatem, quæ in quaq; politia est, semper manere penes populum: huncq; potestatem illam, quam Reges habent, utpote quæ tantum sit delegata, ab ipsis ad se posse



se posse revocare, quandocunq; libet: esse item ei integrum, eam potestatem Regum filiis non tradere, si rationibus suis eo minus putent consultum. Verissimum autem est, esse Reges, qui populo, etiam universim sumpto, non subsint: neminemq; quod M. Antoninum Philosophum dixisse accepimus, nisi solum Deum principis posse esse judicem. Nihil hæc ita se haberent, tolleretur omnino una illarum politiarum, quas omni memoriâ sapientes, & quicumq; non fuerunt  $\tau \nu \nu \nu \kappa \alpha \tau \epsilon \phi \theta \alpha \rho \mu \epsilon \nu \circ \iota$ , rectas & legitimas judicarunt.

XI.

Si duo Principes, qui bello experiantur, inducias pacifcantur ad tres menses, ut adeo alterutrius subditis intra tres istos menses in alterius solo tuto versari; post eosdem idem iisdem minimè liceat: contingat autem, ut alterutrius subditus, qui intra dictos menses in alterius solum commercia exercendi causâ navem appulerit, intra eosdem rursus solverit, atq; ubi in altum proventus sit, à tempestate, quæ subito sit exorta, dictum solum post tres menses repetere compellatur, quæritur si is ab hoste occidatur, juréne id fiat, an injuriâ. Nos quidem, nec semper jure, nec injuriâ semper fieri, sustinemus asserere.

XII.

Vocibus Hebræis  $\text{אֱלֹהִים / אֱלֹהִים}$  in Arabicâ Linguâ respondent utiq; istæ  $\text{أَلِهَات}$ . Hebrææ, ut notum est, non habent radices, quales aliæ id genus habere solent. Nequè igitur earum appellationis ratio ex Hebræâ Linguâ liquere nobis potest. Arabicæ autem habent utiq; cognatas voces in Arabicâ Linguâ, unde earum appellationis ratio derivata esse possit videri. Nam  $\text{عَلِيٌّ}$  significat colere, adorare:  $\text{عَلِيٌّ}$  altum esse, eminere:  $\text{أَرْض}$  depressum, humilem esse. Existimant igitur Viri docti, Hebræarum quoq; vocum appellationis rationem, sive, ut ipsi loquuntur, To formale ex Arabicâ Linguâ esse petendum, ut ita



ut ita Deus Hebræis dicatur אלהים quod sit colendus: cælum  
 ארץ, quod illud sit excelsum: terra ארץ, quod ea sit de-  
 pressa. Id autem non satis recte videtur habere, quod quidam  
 addunt, ut istiusmodi formale detur, non necesse esse radicem  
 in Hebræâ Linguâ fingi. Nimirum non credimus nos, de isti-  
 usmodi appellatione conjecturam commodè posse fieri, si non  
 unâ conjicere velim, in Hebræâ L. itidem extitisse radicem, quæ  
 communem cum Arabicâ significatum obtinuerit. Verifimi-  
 lius autem est, quod Joh. Henr. Hottingerus existimat, multo-  
 rum derivatorum Hebraicorum radices obsoletas in Arabicâ L.  
 quærendas esse, hoc est, radices quasdam Arabicæ Linguæ argu-  
 mento esse, in Hebræâ item Linguâ extitisse olim radices, quæ  
 significatibus affines fuerint Arabicis.

XIII.

C. Plinii Secundi in naturali ejus historiâ inter alia hæc  
 sunt verba: *ab eo Pythagoras clarus sapientiâ primus volumen de  
 earum effectu composuit, Apollini, Æsculapioq; & in totum Diis im-  
 mortalibus inventionem & originem assignatâ: Composuit & Democri-  
 tus: ambo peragratis Persidis, Arabia, Æthiopia, Ægyptiq; magis.*  
 In his viri docti conjecturam fecerunt mendum esse, quod mi-  
 nùs commodè dici videatur *peragraræ magos*. Nos nihil mutan-  
 dum existimamus. Non prorsus absimilia illis sunt ista Tullii:  
*Pompeji res gestæ omnes gentes cum clarissimâ victoriâ terrâ mariq;  
 peragravit.* Ut hîc res gestæ Pompeji omnes gentes peragra-  
 se dicuntur: ita & ipse Pompejus plurimas gentes dici potest  
 peragrasse. Quidni igitur commodè etiam dicatur *peragraræ*  
*magos?* Prorsus autem consimilis ῥήσις est in ep. quadam S.  
 Hieronymi. *Sic Pythagoras Memphisicos vates: sic Plato Ægy-  
 ptum, & Architam Tarentinum, eamq; oram Italia, qua quondam  
 magna Græcia dicebatur, laboriosissimè peragravit.* Cæterum cum  
 verba Plinii de mendo suspecta esse non debeant, probabitur ex  
 illis amplius, habuisse & Arabiam suos magos. Quod ex his Lu-  
 ciani itidem colligas: *οἱ καλέμενοι Μάγοι, γίνονται τὰς μαθη-  
 κὰν, καὶ θεοῖς ἀνακείμενον, πύρα τε Πέρσους καὶ Πάρθους, καὶ Βακ-  
 τρίας,*

Exerc. de  
 Pentateu-  
 cho Sama-  
 rit. p. 46.

l. XXV. c. 2.

Pro Corn

ep. CIII.

ἐπιμα-  
 κησίαν.

B

τρίαις,



*αἰίοις, καὶ Χωροσμίοις, καὶ Ἀραίοις, καὶ Σάκκας, καὶ Μήδοις, καὶ  
 πολλοῖς ἄλλοις βαρβάτοις.* Non absurdum etiam erit, si quis  
 existimet, Magos ad Salvatoris nostri cumas venisse ex Arabia.  
 Quin hoc ipsum haud ineptè quoque colligas ex aliis quibusdam.  
 Sanè & Arabas sapientiae nomine celebres fuisse, constat tum ex  
 sacris, tum ex profanis scriptoribus. Deinde donorum,  
 quae Magi attulerunt, partim Arabia suppeditat sola: partim tam  
 ubere proventu, quam ulla ferè alia terra. De thure, & myr-  
 rhâ inter alios autor est Plinius. *Principalia, inquit, in Arabiâ  
 felice, thus & myrrha: haec & cum Troglodytis communis: turba,  
 praeter Arabiam nullis, ac ne Arabia quidem universa.* Auri verò  
 venis abundare Arabiam, inter omnes constat. Porro & illud  
 suavissimum est consideratu, quod divinus Propheta praedixerat,  
 ex Sabæâ, hoc est, Arabiâ venturos, qui *aurum & thus* afferant.  
 Non sane repugnabimus, per ista terrena indigitari etiam spiri-  
 tualia, quomodo aliis quam plurimis Scripturâ locis. At nec istuc  
 absurdum cuiquam videri debet, externa illa credere ita esse fa-  
 cta, ut Propheta praedixit. Consentaneum quippe est, externa  
 illa, & quorum haec symbola fuerunt, ipsa externa simul esse fa-  
 cta, atque item à Prophetâ futura praedici. Quidni verò id cre-  
 damus, qui scimus, esse Salvatori nostro aurum, thus, & myr-  
 rham aliquando oblata? Quin nec istuc absurdum arbitramur,  
 esse, in eodem Esaiae vaticinio, ubi de luce, quae gentibus sit af-  
 fulsura, illustria habentur, ipsum externum symbolum, stellam  
 puta, quae magis apparuit, credere simul indigitari. At, dices,  
 Arabia versus meridiem respectu Palaestinae est sita: magos au-  
 tem legimus *ἀπὸ ἀνατολῶν* venisse. Non omninò id videtur,  
 verum, quod de Arabiae dicitur situ. Sanè ut paralleli Palaesti-  
 nae multis gradibus ab interioris Arabiae distant parallelis: ita &  
 illius meridiani ab hujus meridianis benè multis distant. Vergit  
 autem revera Arabia respectu Palaestinae, non exactè ad meridi-  
 em, sed potius ad ortum brumalem. Et què hoc mirum vi-  
 deri possit, Arabiam respectu Palaestinae ad ortum vergere, cum  
 Babylonia ad septentrionem vergere in Scripturâ dicatur sex-  
 genties.

l. XII. nat.  
 hist. c. 13.  
 14.

Esa. LX. 6.  
 vide &  
 Ps. LXX. 10.



centies. Quatuor plagas mundi, prout in Scripturâ quidem respectu Palæstinæ illæ demonstrantur, optimè licet intelligere ex quibusdam Psalmsi CVII. verbis. Habent autem ita: *וּמִמֶּנּוּ וּמִמֶּנּוּ וּמִמֶּנּוּ וּמִמֶּנּוּ* *Ex regionibus congregavit illos, ab oriente, & ab occidente, ab aquilone, & à mari.* Sanè mare in his non potest intelligi, nisi mediterraneum, quod & magnum in Scripturâ appellatur. Palæstinam, ut notum est, alluunt tria maria, quorum posteriora lacus potius sunt, quam maria, Asphaltites nim. & lacus Tiberiadis. Atq; hæc posteriora non posse intelligi in verbis productis, facile apparet. Intelligitur ergò mediterraneum. Porrò plaga, versus quam mare illud vergit, opposita est septentrionali. Est igitur ipsa meridionalis. Si ipsa est meridionalis, Arabiam ad orientem vergere minimè est mirum. Ceterum non aliter illa *קָרְסָה* in his Esaiæ videntur usurpari: *וְהִנֵּה אֱלֹהֵי מִצְרָיִם וְאֱלֹהֵי מִצְרָיִם* *Et ecce hi à septentrione, & à mari (meridie, plagâ oppositâ) & isti à terrâ sinim venient.* Non tamen sumus nescii, esse, ubi *קָרְסָה* haud paulò aliter capiantur. In Genesi legitur ista: *צְפוֹנָה וְנֹגֵבָה וְקֶרְמָה וּמִדְבָּר* *ad septentrionem, & ad meridiem, & ad orientem, & ad mare (mediterraneum, hoc est, ad occidentem).* In his plaga, versus quam est mare mediterraneum, opponitur, non septentrioni, ut in superioribus, sed orienti. Gemina etiam illis habentur in eodem libro, atq; item in aliis.

XIV.

In verbis epistolæ ad Hebræos: *Talibus hostiis promeretur* *Dew*, solæcum aut barbarum quid esse non eò negavimus, quòd hodiè promiscuè ita loqui nos posse crederemus. Doctis nostri ævi decretum est, sicubi Latine scribunt, aut loquuntur, Ciceronis, & eorum, qui huic ferè sunt *Προμεριον*, exprimere dictionem. Hos autem eodem modo non fuisse locutos, facile constat. *Promereri aliquem*, fuit quidem ipsis usu trita *προμεριον*. *Promereri* autem cum eodem quarto casu *persona* non legitur. Sed nec passivè usurpari vocem facile passa fuerit Tullii ætas. Quo-

v. 3.

c. XLIX.

v. 10.

c. XIII. 14.

c. XIII. 16.

ipovd

B 2

niam



niam igitur doctis decretum est, Ciceronis exprimere dictio-  
nem, pro solæcâ aut barbarâ non immeritò haberetur, si illa  
ῥῆσις, quæ est in verbis ep. ad Hebræos in eujusquam deprehen-  
deretur scriptis, nisi si epiplexin is, qv̄i usus fuerit, apposuerit.  
At in vulgatâ versione eadem ῥῆσις solæca a barbara minimè est.  
Sanè versio ista quinto seculo jam exitit, & usu satis fuit trita, ut  
ex crebris allegationibus istius seculi Patrum licet intelligi. Et  
qv̄i eam confecit, sacras literas ferè expressit eâ dialecto, quæ ip-  
sius ætate obtinuit. Neq; id ab ipso postulari potuit, ut Tul-  
lii exprimeret dictionem. Quam verò multa sunt in Ælio  
Spartiano, Julio Capitolino, Ammiano Marcellino, & aliis,  
quæ Ciceronis ævo pro barbaris fuissent habita. Illi tamen ipsi  
scriptores propter talia barbarismi nequaquam sunt infimulari-  
di. Siqv̄idem usi sunt illis vocibus, & phrasibus, quæ ipso-  
rum ævo obtinuerunt. Cæterum, quòd non ἄλλοις ἢ πρὸς αὐτοὺς illa ver-  
ba in vulgatam versionem irrepserint, ex eo colligas, quòd in  
Patrum scriptis, qv̄i tum vixerunt, cum vulgata versio usu satis  
fuit trita, eadem ῥῆσις deprehenditur. Nobis in præsentia suc-  
currunt ista Augustini: *Nam usq; martyres non dilexerunt scelus  
persequentium se, quo tamen usi sunt ad promerendum Deum.* Cum  
sanctus Pater differere instituisset de quatuor istis, quæ diligi pos-  
sint, præmonet idem, non omnia, quibus utendum est, diligen-  
da esse, sed ea sola, quæ aut nobiscum societate quadam referan-  
tur in Deum, sicuti sit homo vel angelus; aut ad nos relata be-  
neficio Dei per nos indigeant, sicuti sit corpus.

XV.

c. X. II.

ASSUR videtur esse nomen regionis in his Geneseos verbis  
 מִן הָאָרֶץ הַחִיטִּי יָצָא אֲשֶׁר וַיְבֵן אֶת-נִינְוֶה וְאֶת-  
 רֶחֱבֹתַיִם עִיר וְאֶת-כַּלְח De istâ terrâ processit in Assyriam, &  
 edificavit Nineven, & Rehobotham urbem, & Calaham. In iis,  
 quæ ista præcedunt, narratur de Nimrodi potentix & regni ini-  
 tiis, quòd is nim. principio tantùm in terrâ Sinear, hoc est, Baby-  
 loniâ regnarit. Illum ipsum igitur Nimrodum, credimus nos  
 processisse postilla in Assyriam, & inter alias urbes Nineven  
 qv̄oq;



quoque condidisse. Alii quendam, Assurem nomine, ex terrâ Si-  
 near processisse credunt, eumque condidisse istam urbem. No-  
 stram sententiam inter alia optimè videtur firmare, quod terra  
 Assur sive Assyria in Scripturâ terra Nimrodi etiam vocatur. Ni-  
 mirum, ut quælibet aliæ regiones in Scripturâ denominationes  
 habent à primis sui occupatoribus: ita quædam trans Tigrim  
 regio à primo sui occupatore Assure, filio Semi terra Assur in  
 Scripturâ, & à scriptoribus τοῖς ἔξω passim Assyria appellatur.  
 Eadem autem vocatur etiam terra Nimrodi ab alio quodam, qui  
 post Assurem, in eam commigravit, atque itidem res magni mo-  
 menii in eâ patravit, à Nimrodo puta Cuschi filio, Chami au-  
 tem nepote. Eodem modo terra Mizraim, quæ à Chami altero  
 filio in Scripturâ ita dicitur, in paucis quibusdam locis ab ipso  
 Chamo denominationem habet, & alio nomine terra Chami  
 appellatur. Ipsam autem urbem, quam Nimrodus condidit,  
 Græci & Latini scriptores Νῖνυρ, & Ninum appellant, & Tigri  
 fluvio impositam fuisse memorant. Ceterum qui Reges post  
 Nimrodi tempora Niniven sive Ninum urbem, & ~~αἰχμῶν~~  
 obtinuerint, id liqvere minùs potest. Scriptores οἱ ἔξω Assyriæ  
 primum Regem faciunt Ninum, ejusque filium itidem Ninum:  
 uxorem autem Semiramidem, quæ post mariti obitum, nõ uxo-  
 rem ejus, sed filium se simularit, & imperium traxerit pro filio.  
 Sunt etiam, qui primum Regem memorarunt Belum. Ultimum  
 autem Regem faciunt Sardanapalum, hujusque imperii partem  
 ad Medos: partem itè ad Babylonios translata fuisse memorant.  
 Castor Rhodius tamen post Sardanapalum memoravit alium  
 Ninum, ut Eusebius autor est. Nobis sanè primi Assyriorum  
 Regis nomen, quod circumfertur, pridem visum fuit suspectum,  
 ac à Græcis, ut alia quædam in Assyriorum rebus, confictum.  
 Nini urbis conditor procul dubio fuit Nimrodus, quod nobis ex  
 sacris liqvere potest. Istuc Nimrodi nomen occasionem fuis-  
 set Nini nominis confingendi, haud temerè dixerim. Vero  
 valde est simile, quod Græci primariam, eandemque amplissimam  
 Assyriæ urbem Ninum appellari scirent, ipsos regi, qui eam con-  
 didisset

Mich. 7. 6.

Pf. CV. 23.

CVI. 22.

Herod. l. I.

Plin. l. VI.

6. 13.

Ptol. l. VI.

Geogr. c. I.

In Chron.



didisset, idem nomen fuisse, ubiq; adeo nomen à conditoris nomine fuisse inditum, credidisse. Nomen Nini, quem post Sardanapalum regnasse autor fuit Castor Rhodius, videtur itidem confictum. In sacra scripturâ nomina Regum Assyriorum habentur ista, Phul, Tiglathpileser, Sargon, Salmanasser, Sennacherib, Esarhaddon. Inter hos unus est, cujus satis aperta in historiâ τῆς ἱστορίας fit mentio, Sennacheribus puta, qui Hiskia Regi Σύγγρον fuit. Hunc Herodotus Assyriorum & Arabum Regem fuisse, & in Ægyptios movisse, memorat. Clade item mirabili fuisse affectum, hoc est, exercitus ipsius pharetras, tela, & scuta ab agrestibus muribus nocturno tempore fuisse corrosa, ut ita Assyrii, cum decernendum cum Ægyptiis fuerit, se in fugam dare, utpote qui ab armis fuerint imparati, necesse habuerint, multiq; eorum fuerint trucidati. Sed clade illâ non propter Ægyptios, sed propter Israëlitas à Deo affectum fuisse Sennacheribum, ipsamq; cladem paulò aliter fuisse factam, nobis ex sacris literis constat. Ægyptii autem propter se illam fuisse factâ finxerant, ac Herodoto narraverant. In templo it. Vulcani in rei fidem ac memoriam lapideam Sennacheribi statuam posuerant, eiq; inscripserant ista: Εἰς ἐμὲ τις ὄψεσθαι, & σκεῖσθαι εἴω. Qui me aspexerit, pius esto. Ceterum Sennacheribi mentionem fecerat & Berosus in Chaldaicis, ut autor est Josephus.

XVI.

Tale Synedrium, quale describunt Rabbinî, qualeq; in Palestina tum fuit, cum Salvator noster in eâ versabatur, antiquissimis temporibus Moysis, & Judicum, imò & Regum non videtur fuisse. Libet de Synedrio isto ex Talmude nonnulla producere.

Masseb.  
Sanh. c. I.

סנהדרין גדולה היתה של שבעה ואחד  
וקטנה של עשרים ושלושה ומנין לגדולה שהיא  
של שבעה ואחד שנו אספה לי שבעים איש מוקני ישראל  
ומשה על גבוהן חרי שבעה ואחד והורה אומ

Synedrium magnum septuaginta & unum iudices habuit: minus tres & viginti. Unde constat LXXI. fuisse istum Synedrii iudices. Ex eo, quod dicitur, congrega mihi LXX. Viros ex senioribus Israël.



*Israëlis. His Moses junctus erat. En tibi LXXI. Attamen R. Jehuda ait, LXX fuisse. Eadem, ut ex Talmude deprompta, habet Moses Maimonides in *Jad Chazika. bal. Sanhedrin*. Viri docti, *αὐτῶν ἀπομνημονεύτες* Talmudicis Rabbinisq; secure sunt adstipulati. Ex illis quidam scripsit, *Moyse imperante confessum illum (LXX. virorum) natales habuisse, ut videre sit Num. XI. 16.* atqve item alius, *Synecarium LXX. virum divino imperio à Mose institutum ad Herodis tempora perpetuâ cooptatione durasse.* Nobis subinde, insufurrat Is. Casaubonus, *Rabbinis, in historia etiam sacrâ, parū fide esse tribuendum.* Hi igitur cum scirent, proximis seculis, quæ ipsorum tempora antecesserant, collegium aliquod LXXI. Virum fuisse Hierosolymis: atq; item ex sacris literis didicissent, temporibus Moyfis collegium aliquod LXX. virum fuisse institutum, conjectaverunt, duo ista collegia fuisse ejusdem generis, & jam inde à Moyfis ætate unum idemq; collegium ad Herodis usq; tempora perpetuâ cooptatione durasse. Nimirum id Talmudicis solenne est, eorum institutorum, quæ proximis superioribus seculis in Judæis obtinuisse fecerunt, rationem reddere velle ex ipsâ sacrâ scripturâ. At quàm ineptè id plerumq; fecerint, ipsorū commentarios legentibus non potest esse incognitum. Si maximè collegium istuc, quod Moyfis temporibus fuit institutum, & alterum, quod Herodis ætate fuit, ejusdem essent generis, non potest tamen ostendi, omni illo tempore, quod inter Moyfis & Herodis ætates intercessit, fuisse itidem istius generis collegium. Imò ex ipsâ Scripturâ suppetunt nobis, unde illud minimè fuisse istoc tempore, colligere queamus. Sanè illa verba, in quibus vulgo ejus quæerunt vestigia, longè aliter sunt intelligenda, quàm quidem vulgò intelliguntur. Sed de illis fortassis aliàs commodum erit fusius agere. In præsens tantùm illa, quæ Num. XI. traduntur, expendamus. Populus Israëliticus, cum satietas eum cepisset illius edulii, quod ex æthere fuerat demissum, nimiam molestiam facessiverat suo duci, divo Moyfi, atq; ut carnes sibi præberet, ab ipso postulaverat. Quæstus etiam fuerat Moyfes de gravissimo onere, quod ipsius incumbebat humeris, quod nim. quotiescunq; gen-*

*Seld. de Succ. in bona defuncti. c. 25*  
*Grot. l. 1. de Jure p. & b. c. 3. n. 20.*  
*Casaub. exerc. l. 6. Baron.*



v. 26.

tem suæ fortis pœniteret, ab hæc expostulationibus, gravioribusq; verbis nimia ac intolerabilis sibi molestia faceretur. Respondit igitur ipsi Deus hæc verbis: *Congrega mihi LXX viros senioribus Israël, quos nosti esse seniores populi, & moderatores ejus, & assumptos adducito eos ad tentorium conventus, ut sistant se ibi tecum. Tum descendens loquar ibi tecum. & seponam de spiritu, qui est super te, ponamq; in eis: sic portabunt tecum onus populi, neq; portabis tu solus.* Paucis interjectis in narratione Moysis hæc sequuntur: *Tum descendens Jehova in nube, allocutus est eum, & seponens de illo spiritu, qui erat super eum, indidit LXX illis viris senioribus, suiq; cum resideret super eos spiritus ille, וְנָתַתִּי מִרוּחִי בָּהֶם וְנָבְאוּ אֵלֶיךָ וְנָתַתִּי אֶתְּיָדִי עִמָּךְ וְנָתַתִּי אֶתְּיָדִי עִמָּךְ וְנָתַתִּי אֶתְּיָדִי עִמָּךְ* ut prophetarent, & non amplius. Hæc sunt illa, ex quibus Rabbi- ni, atq; item nostræ ætatis viri docti colligunt, Synedrium magnum, quod Herodis temporibus fuit, jam inde a Moysis temporibus extitisse. Nos ex illis nihil amplius possumus intelligere, quam LXX illos viros, quos Moyses ex omni populo deligere iussit, singularib; & *וְנָתַתִּי מִרוּחִי בָּהֶם וְנָבְאוּ אֵלֶיךָ* prophetandi donis fuerunt auctos. ac id quidem ea fini, ut aliter ipsi essent animati, quam cæteri, nec tam facile, quam isti, desicerent, sed unâ cum Moysæ indignantem, ac rebeliantem populum reprimerent, quippe quibus singulares suæ *עֲזָרָתָא* eximiam auctoritatem afferre possent. Non autem talem *וְנָבְאוּ אֵלֶיךָ* prophetiam hic intelligimus, quâ mera futura sint prædicta, sed quâ LXX. isti viri, *וְנָתַתִּי מִרוּחִי בָּהֶם* quodam correpti, laudes divinas singulari ratione decantarint, Deumq; adorarint: tale, inquam, donum, quâli temporib; Samuelis plurimi fuerunt instructi, atq; intè. eos ali- quande ipse primus Hebræorum Rex Saulus. Jam, qui cùm LXX. viris, quales nos descripsimus, contendere voluerit LXX. aut LXXI. viros, quibus Synedrium magnum constituit, is, quan- ta inter duo ista collegia sit diversitas, facile animadvertet.

Neq; opus est, ut nos pluribus id expe-  
namus.

L. Sam. X. 10  
c. XIX. 20.












ut ita Deus Hebraeis dicatur יהוה quod sit  
**ΕΙΩΘ**, quod illud sit excelsum: terra  
 pressa. Id autem non satis recte videtur  
 addunt, ut istiusmodi formale detur, non  
 in Hebræa Linguâ fingi. Nimirum non  
 usmodi appellatione conjecturam commo-  
 unâ conjicere velim<sup>us</sup>, in Hebræa L. itidem  
 communem cum Arabicâ significatum ob-  
 lius autem est, quod Joh. Henr. Hottinge-  
 rum derivatorum Hebraicorum radices ob-  
 quærendas esse, hoc est, radices quasdam A-  
 mento esse, in Hebræa item Linguâ extiti-  
 significatibus affines fuerint Arabicis.

XIII.

C. Plinii Secundi in naturali ejus hi-  
 sunt verba: *ab eo Pythagoras clarus sapien-  
 earum effectu composuit, Apollini, Æsculapioq;  
 mortalibus inventione & origine assignatâ: C-  
 tum: ambo peragratis Persidis, Arabia, Æthi-*  
 In his viri docti conjecturam fecerunt men-  
 nus commodè dici videatur *peragrate mag-*  
 dum existimamus. Non prorsus absimilia  
*Pompeji res gesta omnes gentes cum clarissimâ  
 peragravit.* Ut hîc res gesta Pompeji om-  
 se dicuntur: ita & ipse Pompejus plurima  
 peragrassè. Quidni igitur commodè eti-  
 mago? Prorsus autem consimilis *ρήσις*  
 Hieronymi. *Sic Pythagoras Memphiticus  
 ptum, & Architam Taxentinum, eamq; oram  
 magna Grecia dicebatur, laboriosissime peragr-*  
 verba Plinii de mendo suspecta esse non deb-  
 illis amplius, habuisse & Arabiam suos mag-  
 ciani itidem colligas: *οἱ καλέμενοι Μάγοι  
 κόν, καὶ θεοῖς ἀνακείμενον, παρὰ τὴν Πέρσιν*

B

the scale towards document



elum  
 sit de-  
 vidam  
 dicem  
 le isti-  
 si non  
 n, qvæ  
 ifimi-  
 multo-  
 icâ L.  
 argu-  
 qvæ

Exerc. de  
 Pentateu-  
 cho Sama-  
 rit. p. 46.

a hæc  
 nen de  
 is im-  
 nocri-  
 magis,  
 d mi-  
 nutan-  
 tullii:  
 mariq;  
 agraf-  
 boreft  
 grare  
 am S:  
 Egy-  
 ndam  
 cum  
 nr ex  
 is Lu-  
 cau-  
 Bax-  
 roisq;

l. XXV. c. 2.  
 Pro Corn  
 ep. CIII,  
 καὶ μα-  
 κροῖων.